

existit, aut ejus Legatus utens insigniis Apostol. dignitatis.—3.<sup>o</sup> Appellatio ad ipsos.

24. *Ut privilegia.*—Privilegium Religiosis concessum, ut possint sepelire confratres suos tempore interdicti, intelligitur de illis, qui licet maneant in sæculo, obtulerunt se tamen Ordini, mutato habitu sæculari; vel de illis, qui bona sua eis dederunt, usufructu retento. Privilegium Religiosis concessum, quo eis venientibus ad locum interdictum semel in anno aperiantur Ecclesie, ut celebrentur divina, intelligitur, quod una tantum sola Ecclesia ibi aperiat. — Circa Oblatos, de quibus hic, vide Gonz. cap. 3. et præsententi hoc eod. tit. "

25. *Quod nonnullis.*—Tempore generalis interdicti Episcopi non prohibiti, si non fuerunt culpabiles interdicti, clam celebrare possunt.— Hodie hoc non est privilegium Episcoporum, sed jus commune, ut in cap. *Alma* 24. de sent. excom. in 6. "

26. *Quanto.*—Privilegia non sunt violanda, etiam indirectè.— Hic disponitur Regulares exemptos gaudere privilegio, ut nequeant excommunicari ab Episcopis. Sed circa clausuram monialium etiam illis subjectarum eis non suffragatur hoc privilegium tam ex Trid. sess. 25. cap. 5. de Reg., quàm ex Constitut. Greg. XV. *Inscrutabili* 1622. Vide cap. *Periculoso* infra de statu Regul. in 6. "

27. *Ex parte.*—Clerici tonsura et habitu dimisso, comprehensi in delictis per re assumptionem tonsuræ post delicta commissa, se pro Clericis non defendunt.

28. *Super specula.*—Parisiis et in locis vicinis Jus civile legi non debet. Vide causam in Gonzal.

29. *Quia.*—Summa, ut cap. *Ex parte* 13. suprâ.

30. *In his.*—Habentes privilegium, ut ubique possint cum Altari viatico celebrare, hoc possunt sine licentia Prælatorum.— Vide correctionem Elencho II. n. 163, et Additiones meas lib. III. tit. 41. n. 370. "

31. *Dudum.*—Privilegium de decimis novalium non solvendis non comprehendit decimas tempore privilegii impetrati possessas ab aliis, nisi de possessione alterius in privilegio fiat mentio.— Vide declarationem in cap. *Statuto* 2. de dec. in 6. "

32. *Quidam.*—Confratres privilegiorum, nisi se ad eos in totum transtulerint, ad Episcopalia jura tenentur.— Vide notata in cap. *Ut privilegia* 24. suprâ. "

33. *Consultationi.*—Quoad privilegium retentionis decimæ, semel novale, semper est novale.

IN SEXTO.—Ibi tit. VII.

24 Idem ibidem.

25 Idem ibidem.

26 Honor. III.

27 Id. B. Reginae Angl.

28 Idem Cap. Paris.

29 Idem Ep. Bajoc.

30 Idem Ep. Paris.

31 Greg. IX. Major Eccles. et Lincon.

32 Idem.

33 Id. Arelat. Capit.

Cap. 1. *Volentes.*—Exempti vel privilegiati non tenentur, nisi sub certo Judice respondere ratione delicti, contractus aut rei: si hæc sint inita vel sita in loco non exempto, conveniuntur coràm Ordinario, sed ratione domicilii non.— Licet ex hac Decretali exempti conveniri possint coràm Ordinario ratione delicti, vel contractus, vel rei sitæ in loco Diocesis ejusdem, ex Constit. tamen Pauli V *Religiosorum*, 24. Aug. 1607. declaratur id procedere de exemptis tantum ratione loci, non autem de Regularibus, qui sunt exempti etiam ratione personæ cum totali exemptione.—Et vide ampliationem Elencho III. n. 49. et innovationem Elencho IV n. 26. Vide etiam Matthæucci Official. Cur. c. ult. n. 24. et seqq. — Monasterio privilegiato, ut ejus monachi à quocumque interdici, suspendi vel excommunicari non possint, cessat in illis Ordinariorum jurisdictio quoad illa: secus si illi mitterentur ad prioratus subjectos Ordinariis, donec ibi manerent.— Vide notata suprâ cap. *Quanto* 26. "

2. *Cum de diversis.*—Curia Romana habet studium generale et sua privilegia.

3. *Abbatès.*—Dicit quomodo intelligatur privilegium quorundam Abbatum de populo benedicendo, et quibus hi possint conferre tonsuram.— Vide correctionem Elencho II. n. 169. "

4. *Auctoritate.*—Exempti in locis non exemptis Oratoria vel Capellas sine Diocesanorum licentia construere nequeunt; nec in exemptis sine licentia Papæ. Nec possunt assumere causas proprias suorum liberorum hominum in se, etiam si illi sint sui censuales.

5. *Ne aliqui.*—Privilegium Papæ, quod quis excommunicari, suspendi vel interdici nequeat, non extenditur ad sententias Ordinariorum, nisi concessum sit Regibus, Reginis vel ipsorum filiis, vel religioso loco, vel Ordini.

6. *Ut Apostolica.*—Inferiores Prælati, quibus ex privilegio conceditur usus mitræ, si sunt exempti, in provincialibus et Episcopalibus Conciliis uti possunt mitris aurifrigiatis non habentibus laminas aut gemmas: si non sunt exempti, albis et planis utantur: in aliis locis utantur juxtâ indulta.

7. *Cum personæ.*—Allegans privilegium exemptionis ab Ordinario, tenetur infra terminum ab eo præfixum illud ostendere, sive integrum, sive partem, de qua est controversia exemptionis. Si autem exemptionem allegat ex præscriptione, cum hæc odiosa sit, potest Episcopus exercere in eum jurisdictionem, donec de illa constiterit. Si allegat utrumque, debet ut ante exhibere privilegium. Quod si non plenè probet intentionem suam, sed saltèm præbeat causam præscribendi, tunc non debet deturbari à sua possessione, et interim probare debet præscripsisse spatio quadraginta annorum.

1 Inn. IV. in Conc. Lugd.

2 Idem.

3 Alex. IV.

4 Idem.

5 Clem. IV.

6 Idem.

7 Bonif. VIII.

8. *Episcoporum*.—Interdictus est ingressus Ecclesiae Regularibus vel saecularibus etiam exemptis scienter celebrantibus, vel celebrari facientibus Divina in civitatibus vel locis interdictis, nisi secundum permissionem juris; ac excommunicatos vel interdictos publicè ad divina, Sacramenta vel sepulturam admittentibus.— Vide Clementin. *Ex frequentibus* 1. de sent. excomm. "

9. *Per exemptionem*.—Ecclesia concessa, hæc, et ipsius monachi vel canonici, clerici etiam et conversi, ac perpetuò oblati, non verò ejusdem parochus nec parochiani intelliguntur exempti. Si autem clerici cujusvis Ecclesiae eximantur, tum tam canonici, quàm alii clerici eximuntur; non tamen Ecclesia, nisi aliud in exemptionis privilegio exprimat.

10. *Si Papa*.—Ponit formas privilegiorum, quorum quaedam exemptionem conferunt, quaedam non.— Vide declarationem in cap. unic. *Litteris* de Probat. in Clement. "

11. *Licet*.—Celebrantes divina ex privilegio tempore interdicti clausis Ecclesiis, extraneos admittere nequeunt. Singularis persona super hoc privilegiata familiares suos admittit; secus in familia conventus taliter privilegiati. Hoc privilegio non gaudet ille, cujus culpa ponitur interdictum.— Vide c. *Alma mater* 24. de sent. excomm. in 6. "

12. *Quoniam*.—Episcopi cum altari viatico celebrare possunt, et sibi facere celebrari, ita tamen, quòd non violent interdictum.— Vide Addit. meas lib. III. tit. XLI. n. 370. "

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. VII.

Cap. 1. *Religiosi*.—Excommunicantur Religiosi excommunicatione Papæ reservata, et denunciandi ut tales à locorum Ordinariis, non obstantibus exemptionibus, et privilegiis, præsumentes:—1.º Administrare sine licentia parochi extremam unctionem et Eucharistiam (in Paschate).—2.º Solemnizare matrimonia.—3.º Absolvere excommunicatos à sententiis statutorum provincialium aut synodalium, et à canone, præterquam in casibus à jure vel ex privilegio iisdem concessis.—4.º Quemquam absolvere à pœna et culpa. Possunt tamen ministrare sacramenta suis familiaribus domesticis, aut pauperibus in eorum hospitalibus degentibus.—Interdicuntur iisdem:—1.º Ecclesiarum Prælati in suis sermonibus detrahere.—2.º Retrahere laicos à parochialis Ecclesiae frequentia, vel accessu.—3.º Indiscretas Indulgentias promulgare.—4.º Retrahere testatores à restitutionibus debitis vel legatis favore matricis Ecclesiae.—5.º Procurare, ne in præjudicium tertii solvantur legata vel debita, aut malè ablata restituantur, et sibi vel suis, aut conventibus erogentur.—6.º Absolvere à casibus Sedi Apost. vel Ordinariis reservatis.—7.º A usu temerario in-

8 Idem.  
9 Idem.  
10 Idem.

11 Idem.  
12 Idem.  
1 Clem. IV. in Conc. Vien.

debitè vexare, suam justitiam prosequendo, Ecclesiasticos præsertim coràm Judicibus à Sede Apost. delegatis, eosque convenire ad loca plura et multum remota. Contrafacientes verò circa prædicta omnia multandos esse per duos menses pœnis imponi solitis ab eorum Constitutionibus pro delictis gravibus. Superiores autem incurrere suspensionem ab officio (ut hic putat Gloss.), si post mensem non exhibuerint satisfactionem damnificatis ut suprà; quæ durare debeat quousque satisfactum fuerit. Ponit moderationem circa duos primos casus.— Vide moderationem Elencho II. n. 170. "

2. *Archiepiscopo*.—Archiepiscopi per loca exempta Provinciae suæ Crucem ante se deferunt: ipsi etiam et Diocesani ibi benedicunt; audiunt divina, et illa celebrant et faciunt celebrari: per hoc tamen exemptis vel privilegiatis in aliis nullum fit præjudicium.

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANN. XXII.—Ibi tit. XI.

Cap. unic. *Ad nostri*.—Annullantur quaedam asserta privilegia circa bannitorum receptionem.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. VII.

Cap. 1. *Inter cunctas*.—Dat Prædicatoribus et Minoribus privilegia plurima circa Prædicationes, Confessionum auditiones et sepulturas.— Vide Clement. 2. de Sepult. et cap. *Vices* 2. in Extr. com.—Vide etiam correctionem Elencho I. n. 66 et 67, ac Elencho II. n. 161 et 162.—Hic, sicuti et in cap. *Super cathedram* et cap. *Dudum* de sepult. Bened. XI, Bonif. VIII et Clem. V. excipiunt horam, in qua prohibetur Regularibus prædicare in suis Ecclesiis, et in communibus plateis, quando ipsemet Episcopus prædicat, vel coràm se solemniter prædicare facit. Sed hæc secundæ prohibitionis pars ex Decretis Cong. Conc. in Brundusina 10. Mart. 1645. et 12 Julii 1687. relatis à Bened. XIV. lib. IX. de synod. Dicec. cap. 18. n. 7, intelligenda est solùm, quando Episcopus *ex causa publica, convocatis Clero, Magistratibus et populo coràm se prædicare faciat, non verò cum interest concionibus intra annum fieri consuetis*. "

2. *Meruit*.—Rex Franciæ, et Regnicolæ per Extravagantem *Unam sanctam*, suprà *de major. et obed.*, non ampliùs subjiciuntur Ecclesiae Romanæ, quàm priùs erant.

3. *Divina*.—Ordinarii nequeunt ferre censuras in suos subditos pro suis negotiis Romam euntes, ibi manentes aut ab ea recedentes; nec illos privare beneficiis: quod si fecerint, irritum est. Et si beneficia illorum aliis sint collata, tam dantes, quàm recipientes ipso facto sunt excommunicati, et à solo Papa absolvendi.— Quas limitationes hæc Decretal. recipiunt, vide Fagn. cap. *Licet* 20. de for. comp. n. 44. et seqq. et vide correctionem Elencho II. n. 173. "

4. *Exhibita*.—Dicit, quòd Hospitalarii S. Joannis ex statuto, con-

2 Idem.  
U. Joan. XXII.  
1 Bened. XI.  
2 Clem. V.

3 Eug. IV.  
4 Joan. XXII. Mag. et Fratr. Hosp.  
S. Joan. Hier.

suetudine vel privilegio habentes annalia beneficiorum vacantium, percipere debeant portionem, quam haberent beneficia obtinentes, si in illis essent residentes.

## TIT. XXXIV.—DE PURGATIONE CANONICA.

Cap. 1. *Nobilis*.—Infamatus fide dignus, per juramentum se purgat; aliàs secus: et enormiter peccans ad juramentum non admittitur.

2. *Si quis*.—Infamatus tertio monitus se non corrigens, usque ad purgationem ab officio suspenditur.

3. *Moniales*.—Etiam regulares purgant se de delicto secundum regulam canonicam.

4. *Si quis*.—Si delictum est probabile, non indicitur purgatio; aliàs secus.

5. *Quoties*.—Infamatus, contra quem crimen probari non potest, debet se purgare juramento, de veritate: compurgatores verò de credulitate.

6. *Nos inter*.—Episcopus paræcianum suum infamatum compellit ad se purgandum, nisi ab eo legitime appellaverit.

7. *Cum P*.—Compurgatores debent esse honesti, et notum habere eum, quem purgant; nec debent à Judice, vel alio impediri, et deficiens in purgatione, punitur ut convictus.

8. *Ex tuarum*.—Absolutio facta secundum purgationem vulgarem non tenet, qua non obstante, potest indici de novo purgatio, et admitti accusatio.

9. *Constitutus*.—Sufficit, quòd compurgator sit toleratus ab Ecclesia bonæ famæ; nec de crimine suspectus condemnatur.

10. *Inter*.—Propter magnitudinem criminis infamatus suspendi potest nedum ab officio, sed etiam à beneficio, donec se purgaverit; et augetur propter hoc numerus compurgatorum. Ex causa interdum post purgationem præstitam suspenditur quis ad tempus. Et deficiens in purgatione punitur ut convictus.

11. *Cum dilectus*.—Ad purgationem admittuntur personæ vicinæ et honestæ.

12. *Cum in juventute*.—Si infamia ortum non habet ex probabilibus conjecturis, non est de necessitate indicenda purgatio; potest tamen indici ad instantiam purgandi.

1 Ex Conc. Tribur.

2 Ex Conc. Agathen.

3 Ex Conc. Melden.

4 Ex eodem.

5 Innoc. II. Aquilej. Patr. et Episc.

Mant.

6 Alex. III. Eurien. Ep.

7 Idem Calac. Elect.

8 Luc. III.

9 Id. Wint. Ep.

10 Inn. III. Senon. Arch.

11 Id. Ap. S. Dion. et Prior. S. Mart.

de Campis, et Mag. Schol. Aur.

12 Idem.

13. *De testibus*.—Compurgator jurat de credulitate.

14. *Accedens*.—Infamatus super defectu natalium non debet promoveri, nisi prius se purget.

15. *Cum dilectis*.—Super notorio crimine non est indicenda purgatio; et pendente causa super criminibus coràm Papæ Delegato, purgatio ab Ordinario super eis recepta non tenet.

16. *Accepimus*.—Non sufficit Prælato de criminibus infamato jurare, cum se purgat, quòd ab illis sit immunis; sed jurare debet, quòd post suam promotionem dicta crimina non commisit.

## TIT. XXXV.—DE PURGATIONE VULGARI.

Cap. 1. *Cura*.—Duella et aliæ purgationes vulgares prohibitæ sunt, quia per eas multoties condemnatur absolvendus, et Deus tentari videtur.

2. *Significantibus*.—Summa, ut suprâ.

3. *Dilecti*.—Summa, ut cap. 1.

## TIT. XXXVI.—DE INJURIIS, ET DAMNO DATO.

Cap. 1. *Si rivati*.—Percutiens aliquem, si percussus jacuerit in lecto, percutiens operas ejus et expensas in medicos restituet.

2. *Si quis*.—Aperiens cisternam, et eam non operiens, reddet pretium jumentorum, quæ in eam ceciderint, et quòd mortuum fuerit ipsius erit.

3. *Si bos*.—Si bos cornupeta fuerit ab heri, et nudius tertius, dominus qui eum non custodivit, reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet.

4. *Si læserit*.—Cedens agrum vel vineam per se vel per sua animalia, pro damno æstimationem restituet.

5. *Si egressus*.—Si ignis combusserit segetes, reddet damnum, qui ignem succenderit.

6. *Si quis*.—Qui domum vel aream incenderit voluntariè, incensa omnia restituet, et tres annos pœniteat.

7. *Olim*.—Sæcularis potestas Clericum banniens, condemnari debet à Judice Ecclesiastico secundum æstimationem injuriæ in expensis et damnis. — \*Vide pœnam additam à Clement. I. de Pœnis. \*\*

8. *In nostra*.—Qui jurat statutum de non repetendis damnis, hoc

13 Id. Tyren. Arch.

14 Idem Florent. Ep.

15 Idem Ab. Argent. etc.

16 Id. Ep. Ling. et Ab. Morismundi

Cisterc. Ord. Ling. Dioec.

1 Caelest. III.

2 Inn. III. Prior. S. Pet. Spol.

3 Honor. III.

1 In Exod. cap. 21.

2 In eodem.

3 Ex eodem.

4 Ex eodem cap. 22.

5 Ex eodem.

6 Ex Pœnitential. Roman.

7 Hon. III. Ep. Florent.

8 Greg. IX.

non obstante, expensas repetere poterit. Vel sic: statutum de damnis non repetendis, ad expensas non extenditur.

9. *Si culpa.*—Quisque tenetur ad injuriam, quam vel per se, vel aliis opem dando irrogavit; sicuti et ad damnum, quod culpa sua dedit vel intulit per propria animalia.

IN SEXTO.—Ibì tit. VIII.

Cap. unic. *Et si.*—Repræsalie concedi, vel concessæ extendi non debent contra ecclesiasticos; et contrafacientes, nisi revocent intra mensem, singulares sunt excommunicati; Universitates interdictæ.

TIT. XXXVII.—DE POENIS.

Cap. 1. *Ea, quæ.*—Toties puniendus est criminosus, quoties delictum iterat.

2. *Presbyteri.*—Interficiens Presbyterum puniendus est, et pœnæ pars Ecclesiæ, cui preluit, alia pars pro ejus anima distribuitur.— Hæc pœna lata fuit à Conc. Triburiensi juxtà morem Germaniæ, ubi tunc temporis homicidium non mulctabatur ultimo supplicio, sed certa soluta pecunia, quod dicebatur compositio. Hodie tamen attendendæ sunt pœnæ contra homicidas.

3. *Licet.*—Non debent Prælati pro criminosis sustinendis pecuniam exigere, nec etiam correctionis causa ex cupiditate pœnam pecuniariam imponere.— Textus loquitur de criminosis Clericis et laicis. Circa laicos non subditos puniendos intellige pro causis, vel de jure, vel de consuetudine ad forum Ecclesiasticum pertinentibus.—Circa pœnam pecuniariam imponendam ex cupiditate, concordat Trid. sess. 21. cap. de reform.—Verùm circa facultatem in textu tributam Archidiacono cognoscendi hujusmodi causas, vide correctionem Elencho II. n. 174. "

4. *Calumniam.*—Victus condemnatur victori præsentì in expensis, etiam in causis pecuniariis, nisi sententia pro absenti feratur.

5. *Quod in dubiis.*—Clericus causam seu operam præbens bello, deponendus est.

6. *Tuæ.*—Clericus pro magno scelere deponi debet, et in monasterio detrudi.— Hodie hæc pœna non est ampliùs in usu, sed commutata est vel in ergastulum, vel ad carceres etiam perpetuos, vel, ut communiter in praxi est, ad triremes "

7. *Constitutus.*—Si uterque contrahentium venit contra contractum, uterque potest exigere pœnam ad invicem promissam.

- 9 Idem.  
U. Greg. IX. in Conc. Lugd.  
1 Ex Conc. Tolet.  
2 Ex Conc. Tribur.  
3 Alex. III. Cant. Arch.

- 4 Idem.  
5 Inn. III. Nidros. Arch.  
6 Idem Lond. Ep.  
7 Id. Ab. et Fratr. Cryp. ferr.

8. *Super.*—Si testis propter vacillationem incarceretur, infamiam non incurrit.

9. *Suam.*—Obligatus ad certam quantitatem certa die sub pœna solvendam, si partem intra terminum solvit, ad pœnam integram non tenetur.

10. *Ad aures.*—Occidentes Prælatum, privantur beneficiis et feudis receptis ab Ecclesia, cui præerat Prælatum ille, nec eis vel hæredibus restituentur, nec alia de novo concedi debent.— Hodie in occidente, capiente vel banniente Episcopum auctæ sunt similes pœnæ, de quibus in Clementin. *Si quis suadente* hoc eod. tit. Imò incurritur excommunicatio Papæ reservata in Bulla *Cænæ* cap. 11. et vide notata infrà cap. *Felicis* 5. in 6. "

11. *Dilectus.*—Prorumpens contra Judicem, arbitrio Superioris punitur.

12. *In quibusdam.*—Patroni, Advocati vel Vicedomini vindicantes sibi in Ecclesiis plusquàm jura permittant, per censuram Ecclesiasticam compescuntur, et si occidunt Prælatum, vel Clericum Ecclesiæ per se, vel per alios, perdunt quod habent ab Ecclesia, et eorum posterius usque ad quartam generationem non admittuntur ad Clerum, nec in Religionibus præficiuntur.— Hæc pœna juxtà magis communem receptam sententiam ex decreto Cong. Concil. 2 Aug. 1628. relato à Benedicto XIV. lib. XIII. de Synod. cap. 21. n. 21., non afficiuntur filii ante patratum homicidium progeniti. "

13. *Gravem.*—Domino excommunicato manente, subditi fidelitatem non debent, et si longo tempore in ea perstiterit ac monitus non paruerit, ab ejus debito absolvuntur.

IN SEXTO.—Ibì tit. IX.

Cap. 1. *Romana.*—De veteri jure poterit Archiepiscopus, cum in Provincia sua jurisdictionem suam exequitur, punire notorios injuriantes sibi, nunciis et familiæ suæ, si per id sua jurisdictio impeditur; aliàs non, nisi consuetudo plus tribuat: sed hodie tales injurias tunc punit, etiamsi jurisdictionem non impediunt.

2. *Degradatio.*—Docet, quibus assistentibus, et quomodo fieri debeat degradatio.— Vide moderationem Elencho II. n. 175. "

3. *Quamvis.*—Quis potest puniri pœna carceris perpetuò et ad tempus.

4. *Ubiqumque.*—Pœna alicui imposita et ejus posteris, non extenditur ad posteros lineæ fœminæ, nisi aliud in jure vel sententia sit expressum.

- 8 Id Prior. S. Fridian. et Magist. B. Can. Pisan.  
9 Idem Spolet. Ep.  
10 Idem Vicentin. Ep.  
11 Idem.  
12 Ex Conc. Later.  
13 Hon. III. Praep. Archid. et H. de Paris. Can. Suessior.  
1 Inn. IV.  
2 Bonif. VIII. Biter. Ep.  
3 Idem.  
4 Idem.

5. *Felicis*.—1.º Punit insequentes, percutientes aut capientes Cardinales, et ejus criminis socios.—2.º Eorum filios et nepotes.—3.º Ipsi insectatoribus pœnam addit.—4.º Quam satisfactionem, cum absolventur, facere debeant: et quid per absolutionem consequantur.—5.º De nudis consiliariis vel simpliciter faventibus huic crimini.—6.º Ad collaterales permittit pœnas extendi.—7.º Ponit pœnam de insequentibus Clericos vel Religiosos, familiares Papæ vel Cardinalium.—8.º Ac pœnam de occidentibus Cardinales.—9.º Dicit potestates sæculares nihilominus pœnis legalibus contra tales uti debere, et hanc Constitutionem etiam facere observari; et contra facientibus pœnam imponit.— Ex constit. Leonis X. *Temerariorum*, omnes pœnæ hinc contentæ extensæ sunt ad invadentes manu armata, et hostiliter diripientes domum alicujus Cardinalis, tam tempore conclavis, etiam si in Papam fuerit electus, quàm quocumque alio tempore, ibique existentem quempiam vulnerantes, ac ad eorum socios, mandantes, ratum habentes, faventes et defendentes. Et ex Constit. S. Pii V. *Infelicis*, extenduntur etiam ad non revelantes aliquid ex prædictis actibus. Vide Bullam Cœnæ cap. 11. "

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. VIII.

Cap. 1. *Si quis*.—Percutiens Episcopum, capiens et banniens, vel hoc mandans vel ratificans, socius, consiliarius, fautor et defensator cum suis posteris, civitas in hoc delinquens et ejus officiales, pœnis variis hinc puniuntur.— Concordat cap. 11. Bullæ Cœn. excepto, quòd hic excommunicantur bannientes Episcopum de quocumque territorio: ibi verò illum bannientes tantum de terra, in qua jurisdictionem vel aliquod jus habet. Hic excommunicantur etiam ratum habentes bannimentum; non autem ibi. Item ibi excommunicantur hostiliter cum insequentibus, hic verò non.— Repetit jus antiquum de absolutis in mortis articulo, qui sanati reincident, si non satatisfaciant. "

2. *Multorum*.—Procurantes capi Ecclesiasticos, ut renuncient beneficiis, vel ut citati non vadant ad Curiam, præter excommunicationem per Canones antiquos latam, Prælati à perceptione fructuum per triennium sunt suspensi; inferiores verò beneficiis sunt privati. Eandem pœnam incurrunt ipsi citati, qui se capi procurant. Resignatio sic facta non tenet, etiamsi per Prælatos recepta fuerit vel ratificata.

3. *Cupientes*.—Excommunicat Religiosos mendicantes transgressores Constit. Bonif. VIII. (cap. *Cum ex eo*, de excus. Præl. in 6.) Item omnes Religiosos, qui in sermonibus vel alibi retrahunt à solutione decimarum; quarum solutionem certis diebus, et in confessionibus suadere tenentur sub certis pœnis, quas incurrunt: nisi sint tales, quorum monasteriis vel Ecclesiis competat percipere decimas.— Circa retrahentes à solutione decimarum concordat Trid. sess. 25. cap. 2. de ref.

5 Idem.  
1 Clem. V. in Conc. Vien.

2 Idem.  
3 Idem.

Et vide correctionem Elencho I. n. 64. et moderationem Elencho II. n. 173.—Excommunicat violatores cap. *Animarum* l. de sepult. in 6. et absolutionem Papæ reservat. "

IN EXTRAVAGANTIBUS JOANN. XXII.—Ibi tit. XII.

Cap. unic. *Dierum*.—Enumerat 16 modos offensarum hominum Marchiæ, et totidem pœnas imponit contra eas in posterum facientes.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. VIII.

Cap. unic. *Divinis*.—Agit de delictis Episcopi Caturcensis, et pœnis ipsi inflictis.

TIT. XXXVIII.—DE POENITENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

Cap. 1. *Manifesta*.—Pro manifesto peccato pœnitentia publica imponi debet.— Vide moderationem Elencho II. n. 173. "

2. *Qui Presbyterum*.—Ponit pœnitentiam occidentis Presbyterum.— Vide correctionem Elencho I. n. 21. et 68. "

3. *Significavit*.—Consideratis circumstantiis, arbitraria pœnitentia indicenda est ei, qui modum excessit se defendendo.

4. *Quod autem*.—Indulgentiæ concessæ per Prælatos non subditis, non prosunt.

5. *Quod quidam*.—Non est verè pœnitens, qui peccandi animum non deponit; salutaribus tamen et crebris monitis est adjuvandus.

6. *Licet*.—Debens ex pœnitentia certa die in pane et aqua jejunare, potest deficiente pane, aliis cibis uti.

7. *Quæsitum*.—Sacerdos græcus procurans vel negligens oppressionem filiorum in lectis, debet abstinere ab Altaris officio; nec ei imponitur pœnitentia publica: secus si delictum est publicum.

8. *Deus*.—Sacerdos pœnitentiam injungere debet secundum quantitatem excessus pœnitentis, contritionem et alias circumstantias.

9. *Officii*.—Non deneganda est absolutio mulieri, quæ sibi partum alienum supposuit, vel proprium ex adulterio suscepit, si eum nolit marito detegere.

10. *Nova*.—Abbatissa Moniales benedicere, confessiones audire et publicè prædicare non potest.

11. *Quod in re*.—Tempore generalis interdicti conceditur pœnitentia Crucesignatis, et peregrinis et morientibus etiam Viaticum. Clerici, qui servarunt interdictum, possunt cum silentio in cœmeterio sepeliri. Et in conventualibus Ecclesiis bini vel trini horas submissa voce dicere.— Vide limitationem Elencho I. n. 69. "

U. Joan. XXII.  
U. Idem.  
1 D. Greg.  
2 Ex Conc. Mogunt.  
3 Alex. III. Mediol. Arch.  
4 Id. Cantuar. Arch.  
5 Idem Belvacen. Ep.  
6 Id. Tribur. Arch.

7 Clem. III.  
8 Inn. III. Livon. Ep.  
9 Id. E. Tit. S. Laur. et Apost. Sed. Leg.  
10 Id. Paletin. et Burgan. Ep. et Abb. de Moribundo Cistec. Ord.  
11 Idem.

12. *Omnis*.—Quilibet doli capax tenetur saltē semel in anno confiteri proprio Sacerdoti, vel de ejus licentia alteri, et Eucharistiæ Sacramentum ad minus in Pascha recipere.— Circa confessionem vide correctionem Elencho II. n. 179, et innovationem Elencho IV. n. 27. — Sacerdos revelans confessionem, deponendus est et detrudendus in monasterium ad perpetuam pœnitentiam.— Circa hanc detrusionem vide notata in cap. *Tue* 6. de pœnis. \*\*

13. *Cum infirmitas*.— Medici debent infirmos ante omnia inducere ad confessionem sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ferendæ sententiæ, duraturâ quousque satisfecerint.— Ex const. S. Pii V. *Super gregem* præter dictam pœnam, aliasque arbitrio Episcopi infligendas, si post tertiam visitationem eis non constiterit, infirmum confessionem peregissee, iterum eum visitantes incurrunt ipso facto juris infamiam et privationem gradus medicinæ. Collegium autem medicorum admittens aliquem ad doctoratum medicinæ absque prævio juramento de observanda hac Constit., ipso facto pariter incurrit privationem facultatis doctorandi. Ex Conc. Rom. sub Bened XIII. tit. 32. c. 1. in Append. §. 28. n. 4., medici contrafacientes incurrunt excommunicationem latæ sententiæ Episcopo reservatam. \*\*

14. *Cum ex eo*.— Dicit:— 1.º Quomodo se gerere debeant eleemosynarum Quæstores.— 2.º In dedicatione Basilicæ ultra annum, et in anniversario dedicationis, et in litteris indulgentiarum concessis ab alio, quàm à Papa, ultrâ 40 dies remissio excedere non debet.— Vide correctionem Elencho II. n. 180. \*\*

15. *Nostro*.— Archiepiscopus intra Provinciam suam potest concedere indulgentias juxtâ cap. *Cum ex eo* 14. suprâ.

16. *Ne pro dilatione*.— Episcopus et alii superiores ac minores Prælati exempti possunt sine licentia Superioris sibi eligere confessorum.

IN SEXTO.—Ibi tit. X.

Cap. 1. *Romana*.— Agit:— 1.º De eleemosynarum quæstoribus.— 2.º Dicit idem quod cap. *Nostro*. 15. suprâ.— Vide correctionem Elencho II. n. 181. \*\*

2. *Si episcopus*.— Concessio generalis confessoris non tangit specialiter reservata Episcopo: nec obtentu consuetudinis potest quis sibi eligere confessorum.

3. *Indulgentiæ*.— Episcopi in concedendis indulgentiis servare debent disposita in cap. *Cum ex eo* 14. hoc eod. tit. suprâ.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. IX.

Cap. 1. *Cum secundum*.— Damnatis ad mortem petentibus pœnitentiam, concedi debet; nec valet contraria consuetudo.

12 Inn. III. in Conc. Later.

13 Idem ibidem.

14 Idem ibidem.

15 Hon. III. Ab. et Conv. S. Petri ee Prævallis Lexov. Dioec.

16 Greg. IX.

1 Inn. IV. in Conc. Lugd.

2 Bonif. VIII.

3 Idem.

1 Clem. V. in Conc. Vien

2. *Abusionibus*.— Agit de eleemosynarum quæstoribus.— Vide correctionem Elencho II. n. 182. \*\*

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. IX.

Cap. 1. *Antiquorum*.— Centesimo quoque anno visitantibus Basilicas Petri et Pauli Apost. plenissima peccatorum venia conceditur

2. *Unigenitus*.— Annus Jubilæus reducitur ad 50 annum.

3. *Et si*.— A casibus Papæ reservatis nemo potest absolvere sine ejusdem speciali licentia.

4. *Quemadmodum*.— Annus Jubilæi reducitur ad 25 quemlibet annum, et illo durante aliæ indulgentiæ ubique cessant.— Quæ præserventur, vide Additiones meas hoc eod. tit. post n. 224. \*\*

5. *Et si*.— Multæ gratiæ à Sixto IV. concessæ revocantur.

TIT. XXXIX.—DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

Cap. 1. *Super*.— Impubes Clericum percutiens, ab Episcopo absolvi potest: et qui joco, vel causa disciplinæ percudit Clericum, etiamsi sit major, excommunicatus non est; secus qui ex odio, et per Papam absolvitur.

2. *Monachi*.— Monachos se ad invicem percutiens absolvit Abbas. Idem in Canonicis regularibus; et Abbatis discretionem deficientem, recurritur ad Episcopum.

3. *Si verò*.— Ostiarius, qui Clericum percussit non graviter, ab Episcopo absolvi potest. Officialis deliberatè injiciens manum in Clericum, per Papam absolvitur. Qui repellendo vim vi, Clericum percudit, excommunicatus non est. Qui percudit Clericum turpiter inventum cum uxore, matre, sorore vel filia excommunicatus non est: secus cum consanguinea remota.

4. *Si verò*.— Qui percudit Clericum ignorans probabiliter eum Clericum, excommunicatus non est: ignorantiam tamen probare debet per juramentum, et si hoc præstare recusat, pro excommunicato haberi debet.

5. *Non dubium*.— Percutiens Clericum vel religiosum, excommunicatus est, nec ab alio, quàm à Papa absolvitur, præterquam in mortis articulo.— Si percussio est levis, ut cap. *Si verò* 3. suprâ. \*\*

6. *Mulieres*.— Mulieres, quæ inciderunt in Canonem, *Si quis suadente*, absolvuntur ab Episcopo. Item personæ, quæ non sunt sui juris, vel sunt delicatæ, de quibus dubitatur, quod non possent com-

2 Idem.

1 Bonif. VIII.

2 Clem. VI. Arch. Tarrac. et Suffr

3 Paul. II. Ven.

4 Sixt. VI.

5 Idem.

1 Alex. III. Senon. Arch.

2 Idem.

3 Idem.

4 Idem.

5 Id. Ab. et Prior. et aliis Eborac.

Dioec.

6 Idem.